



Petri Cvnæi de Repvblica Hebræorum Libri III

Cunaeus, Petrus

Lvgd. Batavor., 1632

Cap. III. Vestimenti laceratio quatenus Pontifici permissa. Item quatenus sacerdotibus. De Caipha. Lex conjugii alia pontifici, alia sacerdotibus posita. Matrimonium virginis, viduæ, vitiatæ, & per ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65527)

seiscitatus de successu rei esset, quam apud animum suum proposuerat, ibi pontifex statim, spiritu cœlesti concitus, amiculum Coschen inspexit, atque ex literis mirâ vi illic protuberantibus, quid futurum esset, didicit, responditque. Ea consulendi ratio non privatis, aut de plebe hominibus, sed regibus duntaxat, summisque iudicibus, aut iis, qui publicè missi à populo essent, usurpata fuit. Quoties enim res magna agebatur, itum illuc est. Privatorum negotia votis precibusque relicta sunt, ne oraculi sanctitas evilesceret.

CAPVT III.

Vestimenti laceratio quatenus Pontifici permessa. Item quatenus sacerdotibus. De Caipha. Lex conjugii alia pontifici, alia sacerdotibus posita. Matrimonium virginis, vidua, vitiate, & per divortium dimissa. Polygamia. Habitatio Pontificis. De Augusto Cesare.

Nunc referamus alia quædam summi Pontificis jura. Inter quæ illud est, quod ei vestem lacerare in animi dolore fas haud fuit. Quod præceptum tamen Talmudici ad lacerationis modum restringunt, ut Pontifici disrumpere vestem quidem, sed infra

tantum circum pedes licuerit; supra
 verò, & ad sinum pectoris, vetitum sit.
 at cæteris sacerdotibus jus esse lace-
 randi à summâ parte deorsum ajunt.
 Ita diffinitum in fine ejus tractatus est,
 quem Massechta Horaioth appellant.
 Quæ si vera sunt, nullo necessario ar-
 gumento colligitur, id quod interpre-
 tes volunt, Caipham contra legem
 fecisse, cum ad Messiaë augustam vo-
 cem ipse togam sibi per impatientiam
 discinderet, uti proditum à Divo Mat-
 thæo est in capite vicesimo & sexto.
 Hæc ultrâ exquirere, nostrum non est.
 Cum enim diligentissimè in his ope-
 ram posuerimus, restabit, ut nobismet
 irascamur, qui pedibus sinum scal-
 pturimus, unde nullum granum erui-
 tur. In Levitici capite vicesimo & pri-
 mo edicitur pontifici maximo, uti vir-
 ginem duntaxat in matrimonium pe-
 tat. Quod profecto non sine mysterio
 est. Non enim sacerdotibus posita ea-
 dem lex fuit. quippe viduam illi uxo-
 rem rite duxerunt, dum modò ab iis
 abstinerent, quæ corpore quæstum fa-
 ciebant, aut per divortium expulsa à
 marito erant, quibusve oblatum vi-
 tium fuit. In Talmud, in Massechta lo-
 ma, in capite primo, traditur, nefas
 Pontifici fuisse uxores duas simul in
 matri-

matrimonio habere. quod si haberet, utique cum altera faciundum illi divortium fuisse ante diem decimum mensis Tisri. ni id fecisset, obire eum piaculare sacrum solenni illo die in templi adytis nequivisse. Enimvero hoc singulare fuit. Nam cæteris hercle Iudæis plures uxores ducere per legem licuit. idque infra ostendemus, cum res ipsa feret. In Massechta Middoth scriptum extat, ædiculam fuisse Pontifici in templo extructam, in qua ille interdium mansitavit ferme, eamque לשכרת *conclave Pontificis* esse dictam. De domo vero, quæ extra sanctuarium illi erat, ita Maimonides tradit, debuisse eam Ierofolymæ, atque in ipsa urbe, non alibi, esse. At Romanorum legibus cautum fuit, uti Pontifex maximus in domo publica habitaret. Quare Octavius hercle, M. Lepido mortuo, cum tanti nominis honorem adeptus esset, & domum publicam accipere à senatu per modestiam recusaret, suarum ædium partem ipse publicam esse iussit, quo satis factum legi esset.

CAPVT IV.

Contra Divum Augustinum, atque contra Carolum Sigonium disceptatur de